



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Cap. I. De Professione Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

ditur; atque adeò meritò memoriæ firmiter imprimere debent, quæ ab eodem Concilio ad hunc finem saluberrimè sunt constituta; id quod ascurata hujus Compendiariæ Methodi lectione haud difficulter obtinebunt.

VI. Ut autem omnia ordinatè & distinctè proponantur, summam tres hujus Reformationis partes distingui possunt, quarum prima de iis, quæ ad fidem & Sacramenta quædam, seu potius legitimum eorum usum, valorem & debitam administrationem pertinent tractabit. Secunda de officio & jurisdictione Episcoporum, quæ tanta illis tribuitur, quantam subditorum gubernatio, & Ecclesiæ Reformatio requirit, ager. Tertia, quæ ad officium & disciplinam reliquorum Ecclesiasticorum & partim etiam Laicorum pertinent, explicabit: De quibus Laicis idèd pauca S. Synodus & professio attigit, quia Reformatio Cleri secum trahit Reformationem populi Christiani, ubi enim rectâ viâ cuncti Pastores, non aberrant oves.

P A R S I.

*DE IIS, QUÆ AD FIDEM
SEU SACRAMENTA PERTINENT.*

C A P U T I.

DE PROFESSIONE FIDEI.

I. **P**rofessio fidei facienda est ab omnibus promovendis ad Ecclesias Cathedrales, & cum informatione de illis in publicum instrumentum redacta mittenda ad Pontificem *sess. 24. c. 12.*

II. Provisi de beneficiis curatis eandem facere debent.

habet in manibus Episcopi aut ejus Vicarii intra duos menses Possessionis à die adeptæ Professionis ibidem.

III. Item Provisi de dignitatibus & Canonicatibus Cathedralibus, non solum coram Episcopo, sed etiam in capitulo, alioqui prædicti omnes fructus non faciunt suos. ibid.

IV. Item Episcopi & omnes, qui interesse debent in primo Concilio provinciali, post finem hujus Concilii habent. sess. 25. c. 2.

V. Item omnes promovendi in Patriarchas, Primas, Archiepiscopos, Episcopos; ibidem. Revenientes deferantur ad Pontificem ab Episcopis comprovincialibus, qui interim à communione eorum abstineant. ibid.

VI. Item Magistri, Doctores, & alii in universitatibus singulis annis se obstringant ad ea docenda, quæ sunt Catholicæ fidei conformia. ibidem.

CAPUT II.

DE SACRA SCRIPTURA.

I. Nemo scripturam interpretetur contra communem sensum Ecclesiæ & Patrum; etsi ex interpretatione nunquam forent edendæ sess. 4. de editione & usu Sacrorum librorum.

II. Nemo verba & sententias Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, insantationes, divinationes, sortes, libellos famosos &c. usurpet, sub pœnis juris & arbitrii episcopalis. ibidem.

III. Nemo imprimat aut imprimi faciat libros de rebus sacris sine Nomine Authoris, nec vendat aut retineat, nec legat, vel aliis communicet, nisi examinatos & approbatos ab Ordinario sub pœna pecuniæ & anathematis Concilii Lateranensis sub Leone X. sess. 10.

IV. Regulares ultra prædicta licentiam suorum superiorum impetrare debent, recognitis eorum libris juxta suas ordinationes ibid.

V. Probatio in scriptis detur, & in fronte libri authenticè appareat; tam ipsa autem, quam examen gratis fiat. ibidem.